Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31712
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

mundi contemptores. penitentes figurant. Per oculos quippe apostoli eius duces expressi sunt. qui eam de tenebris ignorantie ad lucem ueritatis perduxerunt. Per collum religiosi notati sunt. qui contempto mundo. communem uitam duxerunt. qui spiritale cibum doctrine de capite christo acceperunt. et in corpus ecclesie uiuendo. et loquendo traiecerunt. Per genas penitentes denuntiati sunt. qui se peccasse erubuerunt. Hec laus in denario continetur. quia trinitas huic ecclesie primitus notificatur. Secunda laus est ecclesiarum gentium ubi scribitur. Quam pulchra es amica mea. in qua septem menbris laudantur que septem rebus misticis comparantur. In menbris ordines ecclesie. in rebus uirtutes eorum intelliguntur. qui ordines per septiformem spiritum distribuuntur. dum alii spiritu sapientie. alii spiritu intelligentie. alii spiritu consilii. alii spiritu fortitudinis. alii spiritu scientie. alii spiritu pietatis. alii spiritu timoris domini pleni referuntur. Et per septenarium eterna requies accipitur. que post septem dies seculi omnibus iustis dabitur. Tercia laus est ecclesie in persecutione sudantis. ubi scribitur. Quam pulchre sunt mamme tue soror mea. quam laude senarius dedicat. qui perfectionem designat. quia qui in sex etatibus sex opera misericordie peragunt. perfectum gaudium possidebunt. Quarta laus est ecclesie in pace degentis. ubi scribitur. Pulchra es amica mea. in qua tribus membris laudantur. et tres ordines electorum scilicet coniugati. uidue. uirgines. insinuantur. qui fide trinitatis decorantur.

Quinta laus est synagoge ad fidem conuerse. ubi scribitur. Quam pulchra es et quam decora karissima. quam laude senarius possidet. quia hec ecclesia perfectione fulget. Et hanc laudem precedit laus decem membrorum. significans totidem ordines electorum. qui per legis decalogum percepturi sunt uite denarium. Notandum autem quod laudem ecclesie primitiue. et laudem synagoge precedit laus membrorum. laudem uero ecclesie gentium. et aliarum precedit. et sequitur laus membrorum. quia multi ordines iustorum primitiuam ecclesiam precesserunt. et synagogam conuersam preuenerunt. qui utraque factis scriptis et dictis iux conuerterunt. Ecclesia uero gentium ad primam uocationem apostolorum instituit. Ideo laus eius precedit [ad christum uenit sed ordines]

Iuxta tropologiam. delicie fideles anime sunt sacre scripture. In his deliciis est anima pulchra. que heresi caret. et recta fide fulget. In his est decora si bona operatione fulget. et sic est christi karissima. Huius statura palme assimilatur. que inferius angustatur. in superiori dilatatur. quia studium uirtutum in primis est per actionem angustum. post ea per contemplationem latum. Anime ubera sunt sapientia et scientia quibus indoctos quasi paruulos lactat. que assimilata sunt botris. quia plena sunt doctrinis. Vel ubera anime sunt duo precepta karitatis de quibus prebet lac doctrine utriusque legis.